

cio Vigatium, Scalanam insulam, & Sanguinetum ad ditionem compulerunt. Processum inde usque ad Athesis ripam, in qua hostes conspecti tantum terroris accolis, qui adversam ripam tenebant, injecere, ut quasi fluvium superaturi adeissent, passim cœptum sit trepidari. Pervasit ille terror Vincentiam ac Paduam usque; fugaque ingens ex agris in urbes & loca munitiora est facta. Habitus ad hæc utrobique tumultuarius delectus ab ipsis magistratibus, ut ad Athesis ripam hostibus occurrerent. Sed vix Alphonsus ad Villam Francam confederat, quum Severinas præter Benaci ripam dicens, circa Vallegium loco eminentiore cum omnibus copiis confedit. Secutus inde Marcus Antonius Maurocenus legatus cum parte copiarum quæ Lunati erant: sub cuius accessum Augustinus Barbadicus collega, quia ægrotare cœperat, Venetias deceffit. Calaber, ubi Venetum in conspectum sedentem, neque ad pugnam elici posse vidit, neque tuto oppugnari, motis repente signis, in Brixienses abiit, Asulamque tumultuose circumfedit. Fuerunt qui crederent, non temere eo impetu hostem, omnibus posthabitum, retro concessisse; sed spem illi Asulæ voluntaria ditione recipienda ab oppidanis, aut ab illis qui præsidio erant, fuisse factam. Illud sane constat, oppido Venetis non multo post ex fœdere restituto, paucissimos decreto Patrum proscriptos, qui culpæ sibi consciæ sub belli exitum voluntario exilio solum verterant: unde intelligi potest, ditionis illius culpam a publico consilio prorsus abfuisse. Verum quodocunque id factum sit, ita accidit, ut sub primos ejus conatus sine aliqua majore oppugnatione ( quum locus alioquin pene inexpugnabilis esset ) deditio ab Asulanis sit facta: quam his qui in arce erant secutis, omnia brevi in hostium potestatem concessere. Venetus, Calabro abeunte, omnibus locis quæ ille in Veronensi occuparat, receptis, relictoque Antonio Superantio ad Vallegii præsidium, præter Benacum in Brixienses reversus, ad Calcinatum confedit.

Dum hæc autem foris geruntur, Respublica non me-  
H h h dio-

1484  
*Ad Ath-  
sim usque  
pergit.*

*Asulanis  
sese de-  
dunt.*